



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica Quarta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

*Instructio meritoria.*

Sensus claudamus, visum præcipue.  
 Igitur dum sumus in ecclesia, clausis ho-  
 die oculis *Rosarium* recitemus glorio-  
 sum, neque recedamus sine susceptâ  
 Communione spirituali. O si oculi no-  
 stri semper ad Dominum ! O si sursum  
 tenderent corda, & pia suspiria!

## Dominica IV. Adventus.

## EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi ! scit utique, quām bene ipsi vo-  
 luerit SS. Trinitas, mittendō Dei  
 Unigenitum, ut indueret hominem ?  
 voluit nimirum ut Deus fieret homo, &  
 homo fieret quasi Deus. Quanta digni-  
 tas ! sed ubi retributio ?

*Instructio meritoria.*

Instant dies ultimi, & consummabi-  
 tur negotium Redemptionis nostræ.  
 Præveniamus, & usque ad Festum Na-  
 tivitatis quotidie ante cubitum illa 7. O.  
*Majora* ferventissimè oremus sæpius  
 per diem cum Patribus è limbo suspiran-  
 tes : *Rorate cœli desuper, & pluant*  
 A s                      nobis

10 Dominica IV. Adventus.

*nobis Justum. Captivi sumus : Clamemus !*

II.

**M**Andatum Dei est : *Parate viam Domini.* Quomodo ? baptismō pœnitentiæ, seu humilitate, odiō nostrūm, & vitæ austeritate. Sic rectas facimus vias Salvatoris sæculi. Fili ! quid statuemus ?

*Instructio meritoria.*

Tempus S. Adventus transiit : Si sine fructu , redimamus adhuc hīs ultimīs diebūs ; quotidiè actus reflexæ mortificationis in mensa exercendo , & psalmum : *Benedic anima mea Domino. Et omnia, quæ intra me sunt Eccl. subiungendo.* Gratia D.N.J. apparebit : Et quis ad excipiendam non properet ?

III.

**B**Ona nova ò fili ! videbit omnis Caro salutare Dei, annuntiat hodiernum evangelium. Si omnis caro : ergò & vestra , si humiliata, si crucifixa , si & adventanti Jesulo fuerit assimilata. *Humilis veniet, ut de sua humilitate celsi-*



Dominica infr. Oct. Nativ. Dom. 11  
cel studinem sternet mundi, ait Hugo  
Victorin.

*Instrucción meritoria.*

Exultabunt ossa humiliata! exerceamus nos usque ad solemnia festa in variis tum humilitatis, tum abstinentiae, tum vigiliarum, aut sacri rigoris corporalis operibus, quorum licentiam petamus à Patre spirituali. Gaudium verò nostrum ut sit plenum, quotidiè novies canticum *Magnificat* dicamus, & quidem in honorem novem Mensium, quibus B. Virgo Unigenitum Dei portavit in virgineo utero, & hoc est parare viam Domini: Hoc est videre salutare Dei.

Dominica Infrà Octavam Na-  
tivitatis Dominicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi! miremur ex hodierno Evangelio Annæ Prophetissæ in Dei servitio fervorem, & constantiam; etiam post octoginta duos annos *non discedebat de templo*. Multos annos desideramus,

A 6 eosque